

TEM, quæ intelligentia & amore Dei prædita erat, DEO SUO CONJUNGENS. Sed & ipſius Conſtantini Auguſti Orationem ad Sanctorum cœtum exhibet Eufebius, in qua cap. XII. fortis Martyrum animus extollitur his verbis: *Quumque graviffimos terrores generose (Martyr) ſuperaverit, Corona donatur ab eo ipſo, cui teſtimonium conſtanter perhibuit; atque hujusmodi vitam excipit immortalis memoria, & Gloria Sempiterna.* Ad Orationem quoque de Laudibus Conſtantini, ab ipſo Eufebio viventi eidem Auguſto recitatam, quiſquis accedit, obviam habet elegantem deſcriptionem Regni ac Beatitudinis Cœleſtis pag. 619. Edition. Moguntinæ; in qua unigenitum Dei Filium, *beatiffimas illas Poteflates, juſtitia radiis & ſapientia lumine colluſtrare, & ANIMAS HOMINUM vera Pietate exornatas, non cœli æthera, ſed SINO SUO ACCIPIENTEM Promiſſa ſua rebus ipſis firmare atque adimplere CRE- DIMUS.* In Ethnicorum deinde crudelitatem adverſus Chriſtianos, atque in Martyrum admirabilem conſtantiam infra excurrit Eufebii, omnium teſtis oculati, Oratio. Iſtorum certamina, inquit, & pro Pietate exantlatos labores, quum judicio ſuo ſummus omnium Moderator comprobafſet, eos quidem, qui jam ad Ipſum Migrafſent, *TRIUMPHALIBUS APUD SE ORNAMENTIS DECORATOS, Cœleſtibus Angelorum choris adſcripſerat. Alios vero, velut rediviva quædam Pietatis ſemina, adhuc in terra ſeravert* &c. Sunt & alia ejus generis in hac ipſa Oratione, quæ brevitatis cauſa prætermitto. Omnia autem dilucida, omnia in idem conſpirantia, ut intelligamus, quantum a Burneti rationibus abſcedat primitivæ Eccleſiæ Præditio de Beatitudine Sanctorum, in quam ſtatim Martyres invehebantur, reliqui vero Juſti citius aut ſerius pro ſuorum meritorum menſura. Qualis vero, quantumque vir, & quam idoneus hac in re teſtis fuerit Eufebius Cæſarienſis, non indiget eruditus Lector, ut ex verbis meis edifcat.

Iſdem temporibus, quibus Eufebius, floruit & Alexander inſignis Archiepiſcopus Alexand. Hic Ann. Chriſti cccxxvi. uti habetur ex ejus Actis a Photio laudatis Cod. 256. *pie & ſanctè pro terreſtri Cœleſte Domicilium adeptus eſt.* Eidem ſuceſſit S. Athanaſius, illuſtre nomen in terris, & longe ſplendidius in cœlis. Vitam ille S. Antonii Abbatis literis conſignavit, quam a nonnullorum cenſura Cl. Monſauconius in editione illius Operum vindicavit: ubi hæc animadvertenda cenſui, anti-quiſſimam Verſionem ſequutus. Vitam quippe illam, fortaiſs Athanaſio ipſo vivente *Evagrius Antiocibiæ Epifcopus, acris ac ferventis ingenii, quum adhuc eſſet Preſbyter, in ſermonem noſtrum tranſtulit, uti fidem facit hiſce verbis S. Hieron. Cap. 125. de Scriptoris. Eccleſiaſt. Igitur inquit Athanaſius: Quum ante cibum orare cœpiſſet, raptum ſe ſenſit in ſpiritu, & ab Angelis in Cœlum deferri, prohibentibus tranſitum aeris Demoniis &c.* Rediens autem Antonius in ſe, reputabat ſecum humanorum hoſtium multitudinem, & colluſtationem tanti exercitus, & laborioſum per aerem iter ad Cœlum, & hoc Apoſtoli dictum, quo ait: *Non eſt nobis colluſtatio &c. Qui ſciens aereas Poteflates ob id ſemper tentare, luctari, & contendere, ne nobis liber*